

ERASMVS ALBERVS THEOLOGVS.



Erasmus in Sprendingen circa Francofurtum natus & educatus fuit. Is cum felici ingenio es- set præditus, bonis literis incubuit, & earum magna sibi notitiam comparauit. Huc accedebat uitæ pietas, & religionis studium, cum naturali quadam facundia. Itaq; Ioachimus elector Brandenburgicus eum suis concionibus præfecit, atq; eius doctrinam cupide audiuit. Inde Erasmus sese Vuitebergam contulit, & Lutheri discipulus existens, tamen Theologiæ Doctor creatus fuit. Postea Magdeburgum uenit, & obsidionis tempore anno 1551 ibi permanens, sua constantia insignis extitit. Id cū Megalopolensis dux cognouisset, eum ad se uocauit, & suę ditionis Ecclesijs Superintendentem (quem uocant) constituit. Scripsit Erasmus de Spongia Erasmi Roterodami, adeoq; quatenus illi cum Lutheri doctrina conueniat ostendit. Carolstadij quoq; scripta reprehēdit, & inter doctos sibi magnum nomen cōparauit. Cum etiam controuersia de cœna Domini passim inter Euangelij doctores augeretur, Erasmus suam quoq; sententiam edito libro patefecit, & Lutherum optimè sensisse, cōtrā uero Zuuin glium errasse conclusit. Itaq; multos in ea sententia existentes confirmauit, & suam Ecclesiam uerbo Dei pascendo gnauiter pergit. Anon.